

nam ubi nullus locus commodus, in quo pedem figeret, dorso cuculi sese imposuit, id quod alaudam haud vidi fecisse. In littore maris Germanici insulam Fanøe alluentis novam speciem Charadrii occidit Dnus Teilman, tanta harum avium erat copia ut littus omne iis abundaret. Eam ita descripsi: Charadrius supra albo nigroque varia, subtus candida, reatricibus intermediis longioribus, linea à rostro ad oculos fusca. Magnitudo alaudæ, celerrime currens minus timida. Habui vel 20 exemplaria in quibus omnibus ne minimum digiti postici erat vestigium. Eam nec in Tuo nec Brissonii systematibus invenio descriptam. Tectrices inæquales cinerascens marginibus apiceque albis. Prolixam dare descriptionem vetat angustum spatium. Rostrum pedesque erant nigricantes. Habeo etiam novam speciem canceris, licet minutissimam tamen ob spinas frontalem et ani singularem. Chrysomelam legi polygoni similem sed thorax utrinque valido armatur dente et nonnulla alia, quæ alia occasione vel in natura vel descripta, ut occasio fert, Tibi offeram. Hac occasione nonnulla de erroribus in ornithologia mea commissis addam, meliora edoctus. Strix N° 17 irides oculorum habet luteas, Strix 18 irides habet avellaneo-nigras, ideoque ultima debet esse Aluco. Anas 72-74. non est penelope, nescio an sit nova, marem et foeminam ante meum abitum dedi amicis, ut per Consulem Koustrup Tibi mitterent, nescio an advenerint; illas sequeretur falco orn: bor: 15. Penelopen postea vidi in Cimbria. Catharactam Cepphum iterum occidi equidem in campis Cimbriæ, ubi tranquilla admodum circumambulabat licet sclopetum 3 frustra displosit venator. Recentem habui et inveni in ventriculo et omnibus visceribus ingentem copiam Scarabæi stercorarii. Mas erat. Magnitudo erat eadem cum nostra in ornitholog. descripta, sed color variabat ita, ut hæc coloris erat fere cuculi canori, hinc definitio ita erit mutanda. Cepphus corpore undulato, ala notha nigra maculis albidis. Capiebatur initio 7bris. Colymbi arctici (orn: bor: 133.) pullum Hafniæ habui ex Bornholmia, differebat à descriptione gutture et colli parte prona albis nigro punctatis. Scolopax